



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Quod diabolus primis parentibus fecit, facere etiam eorum posteris,
quin & bonos Angelos fubinde esse pœnarum ministros.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Coloss. 1. 18.
Apoc. 1. 5.

sicut Christum Paulus *Primogenitum ex mortuis*, & Ioannes *Primogenitum mortuorum vocat*, non solum quod fuerit primus ad vitam immortalem resurgentium, & ante alios quasi regenitus beata ista resurrectionis natiuitate; sed etiam quod fuerit exemplar, Princeps & principium istius resurrectionis: ita satan fuit & sibi, & alijs Princeps, principium & inuentor mortis. Hinc

Apoc. 9. 11.

jure nominatur *Rex locustarum, Angelus abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans*.

Gen. 3. 1.

Numquam Eva tam audax fuisset, ut ad veritum fructum manus extenderet, nisi callida arte eam aggressus esset versipellis serpens. Primò insidiosè interrogauit, deinde perfrictè mentitus est, denique vana scientiarum spe illam pellexit. *Cur, inquebat, præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Et cum timorem mortis intentatè audisset obstare inobedientiæ, proteruè dixit. Nequaquam morte moriemini: & illecebras adiciens: Scit enim Deus, quod in quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Hinc fundi nostri calamitas: hæc morborum & mortis est origo. Inuidia diaboli, qui ferre non poterat, ut ab hominibus vacuæ Angelorum sedes replerentur, consueto calumniatoribus more, morbum suum Deo attribuit, quasi hominibus scientiam deorū inuideret. Huic ergo omnis mali auctori gratias agant, qui impatienter ferunt, humanum genus in tantas calamitates incidisse.

II.

Nec satis fuit huic exterminatori, quasi vno ictu omne genus nostrum fauciasse, idem postea in hunc vsque diem tentare continuauit. Quin etiam ipse Deus dæmonis, tamquam carnificis ministerio & tortoris opera vtitur non solum ad malos varijs modis puniendos, sed etiam ad ipsos justos probandos & exercendos. Etsi enim etiam boni Angeli siue ad justos, siue ad impios affligendos à Deo adhibeantur, ut, cum vtique Angelus sanctus femur Iacob percussit, & neruus statim emarcuit; attamen frequentius est, & communi prouidentia lege sancitum, ut boni Angeli non nisi temporalis supplicij impiorum ministri sint & executores, mali autem & temporalis & sempiterni. Hoc autem est inter bonos & malos discrimen, quod boni quidquid agunt circa

Tostat. 1. Paralip. 21. 9. 70.

Gen. 32. 25.

est inter bonos & malos discrimen, quod boni quidquid agunt circa

circa homines, sine odio, & ira, & malitia agant; mali autem cum appetitu vindictæ & libidine puniendi, morbos, mortisque inferant. Cuius doctrinæ author est S. Dionysius scribens: *Nihil malitia sanctos Angelos contrahere ex eo, quod peccatores puniant.* Et D. Augustinus ait: *Sancti Angeli sine ira puniunt, quos accipiunt aeterna lege puniendos.* Idem sentit Theodoretus super illud, *immisio, nes per Angelos malos*, hos enim supplicij ministros neque naturæ, neque electionis malitiam habuisse dicit, sed non aliter malos vocatos, ac *malam diem supplicij diem appellamus.* Quod etiam vult cum Basilio Apollinaris in illud: *Et Angelus Domini persequens eos.* Nam sanctus utique Angelus erat, de quo dicitur: *Et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Sancti Angeli, qui subverterunt Sodomam, qui ceciderunt Assyrios, qui flagellarunt Heliodorum, qui impuros illos Babylonicos senes, apud Daniele, & denique Herodem percusserunt. Itaque verosimile est, vbi cumque *Angelus Domini*, in diuinis litteris, ponitur, bonum Angelum intelligi: licet D. Hieronymus in illa: *Angelus Domini persequens eos*, existimet de Angelo malo sermonem esse, quem putat dici *Angelum Domini, quia Dominus illum creauit, & Dominus illum habet in potestate.*

Bonis ergo & malis Angelis hominum mala ascribi possunt, quia vtrisque Deus vtiur tamquam ministris; sed malis præcipue mala nostra adscribenda sunt, non solum, quia maleuolè puniunt, verum etiam quia prima origo fuerunt, ut peccatum in orbem terrarum, & per peccatum mors atque morbi mortis antea ambulones intrarent. Accedit, quod non modò Deus eorum operâ ac ministerio sæpe peccatores corripit, ut per *exterminatorem*, in Ægypto, & per *Spiritum*, qui decepit Achab; & per *Spiritum malum*, qui inuasit Saul, & per Satanam, cui peccatores cruciandos tradidit Apostolus; immò, quod etiam per eos solos æternis supplicijs affligat damnatos; sed quod iustorum quoque persecuciones & exercitium peculiariter damoni demandet. Nam, ut D. Chrysostomus obseruauit, non videtur Deus id minus demandare sanctis Angelis, qui res humanas ex officio procurant, & nostris bonis gaudent, & quodammodo de nostris supplicijs

S. Dionys. de diu. nom. c. 4.

S. Augustin. lib. 9. de ciuit. cap. 5. Theodoret. in Psal. 77.

Apoilinar. in Psal. 34. 6. Gen. 3. 24. Gen. 19. 4. Reg. 19. 2. Machab. 3. Dan. 13. Act. 12.

S. Hieronymus in Psal. 34.

III.

Exod. 12. 3. Reg. 22. 1. Tim. 1. 1. Cor. 5.

D. Chrysost. tom. 3. hom. de Alcésione.